





16

25

1765

DISSERTATIO
 JURIDICA INAUGURALIS
 DE USU
 L. VII. D.
 DE DIVERSIS
 REGULIS JURIS ANTIQUI

QUAM
 EX AUCTORITATE AC DECRETO
 AMPLISSIMÆ
 FACULTATIS JURIDICÆ
 IN INCLYTA
 ACADEMIA DUISBURGENSI
 PRO
 JURIS UTRIUSQUE
 LICENTIÆ GRADU
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
 SUBMITTIT
 HERMANNUS GERARDUS
 VAN WESSEM
 VENLONENSIS

AD DIEM AUGUSTI ANNI MDCCLXV.



DUISBURGI AD RHENUM

TYPIS FRANC. ADOLPH. BENTHON, ACAD. TYPOGR.




DISSERTATIO
JURIDICA INAUGURALIS
DE USU
I. VII. D.
DE DIVERSIS
REGELIS JURIS ANTIQUI

EX AUCTORITATE AC DECRETO
ACADEMIAE JURIS
IN FACULTATE JURIDICA
JURIS UTRIUSQUE
H. G. W. G. R. A. D. U.
HERMANNUS GERARDUS
VON WESSEM

AD LIT. A. AUGUSTI ANNI MDCCCLXV.
P. R. A. S. I. A. E. R. A. T. O. R. I. A. M.
P. R. A. S. I. A. E. R. A. T. O. R. I. A. M.
P. R. A. S. I. A. E. R. A. T. O. R. I. A. M.





§. I.

L. VII. D.

DE DIVERSIS
REGULIS JURIS ANTIQUI

POMPONII LIB. III. AD SABINUM.



Jus nostrum non patitur eundem in pa-
ganis & testato & intestato de-
cessisse, earumque rerum natura-
liter inter se pugna est testatus
& intestatus. Conf. §. V. in-
stit. de hered. instit. Sensus
legis est: Secundum Jus Romanum ille, qui mi-
les non est (a) partem hereditatis heredibus ab in-
testa-

A 2

testato, partem vero per testamentum relinquere nequit. Hæc enim naturaliter i. e. uti nonnulli interpretes censent, regulariter, sibi contradicunt (b).

(a) Nomen accepit a pago, quod ruri agri colendi causa vitam agat. *Varro de Lat. Ling. Lib. IV.* Sub Imperatoribus omnes ita vocari ceperunt, qui milites non erant, *Suet. Aug. XXVII. Galb. XIX. Plin. Epist. VII. XXV. X. XVIII. Tacit. Hist. I. XXXV. II. XIV. LXXXVIII. II. XLIII. & LXXVIII.* ac in eo significato sæpe in Corpore Jur. occurrit vocabulum pagani v. gr. in L. XVII. §. D. pr. *Inst. de Test. milit. L. XXVI. in pr. de Liber. & Postb.* Ratio esse videtur, quia milites emeriti, impetrata missione ab Imperatoribus, in pagis ad colendos agros sibi donatos collocabantur. Unde pagani, qui non amplius erant milites. JOANN. GOTTL. HEINECCI *Antiquit. Romanar. Jurisprud. illustrant. Syntag. Lib. II. Tit. X. XI. XII. §. XVII.*

(b) Unde & causa testati potior ad se trahit causam intestati debiliorem §. V. & VII. *Instit. de Hæredib. Inst.*

§. II.

Ut autem probent, naturaliter denotare regulariter, distinctionem inter substantialia, *naturalia* & accidentalia in memoriam revocant (a), nec non L. XVI. §. IV. de *minorib.* ubi Pomponius ait, in pretio emtionis & venditionis *naturaliter* licere contrahentibus se circumvenire & L. XXII. *locat.* citant, juxta

juxta quam, uti in emendo & vendendo *naturaliter* concessum est, quod pluris sit minoris emere, quod minoris sit, pluris vendere & ita invicem se circumscribere, ita quoque in locationibus & conductionibus juris est. In quibus legibus *naturaliter* naturam & contractuum ordinariam regulam denotat. Addunt L. XV. §. I. de *servitut.* ac L. XXIII. C. de *probat.* (b)

(a) Queri & gratias agere etiam *natura*, teste *Seneca*, non recipit, i. e. regulariter hoc non fit. *Lib. VI. de Benefic. Cap. VI.*

(b) Quum vero traditionum ea sit indoles, ut unusquisque sibi in re sua jus aliquod, quod non transferatur, excipere & reservare possit, adeoque ea casu tantum transmittatur, quantum is, qui alienat, transmittere voluit, sequitur, ut in arbitrio domini sit, utrum ex assensu, an pro parte alterum sibi hæredem dicere malit, ut adeo non sit *naturalis pugna* causa testati & intestati, uti sibi persuasit, Pomponius L. VII. D. de *Req. Jur.* Verba sunt JOAN. GOTTL. HEINECCII in *Element. jur. nat. & Gentium Lib. I. §. CCLXXXIII.* Vid. & Perillustr. IOANN. TOB. CARRACH *Diss. de Different. Jur. Rom. & Germ. in Hæred. Instit. Voluntar. §. XXII.*

§. III.

Interpretes Tit. D. de *Divers. Regul. Jur. & L. VII.* varias rationes pugnae naturalis, causae testati & intestati, in medium proferunt. Quia hæreditas est successio in universam jus, quod defunctus

Etus habuit L. LIX. & LXII. c. Tit. LXXIV. D. de verb. signific. quia hæres defunctum repræsentant, adeoque pro una persona habentur. Si vero aliquis ex testamento & ab intestato hæres esset, duplicem ageret personam. Adversatur autem legibus, ut una eademque res, uti hæreditas, diverso jure censeatur. Præfat. in fine Nov. XLVIII. L. XXXI. in fin. D. de heredib. instituend. L. XXXIV. D. de acquir. rer. domin. L. XXII. & XXIII. D. de usucap. L. LXII. D. de divers. regul. jur. pr. inst. de stipul. servor. (a) Accedit, quod hæredis institutio sit basis & fundamentum totius testamenti. Ne itaque fundamentum corruat, si aliquis pro parte hæres tantum institueretur, causam intestati ad se trahit §. XXXIV. inst. de legat. Ulpian. Tit. XXIV. §. XV. Præterea testamentum est actus individuus ac nunquam pro parte possideri potest L. VIII. D. de R. V.

(a) Confirmant hæc, quæ M. TULLIUS CICERO Lib. II. de Inventione habet: *Unius pecuniæ plures dissimilibus de causis hæredes esse non possunt, nec unquam factum est, ut ejusdem pecuniæ alius testamento, alius lege hæres esset.* Et censeat Goussier. l. Résol. III. n. III. & X. n. XXVII. quod absurdum sit per qualitates contrarias, quæ in uno eodemque homine natura esse non possunt, unum eundemque per fictionem, quæ naturam imitatur §. IV. instit. de adoptionib. §. V. D. de acceptil. repræsentari, uti refert ARNOLD. VINNIUS in Comment. ad Instit. Lib. II. T. XIV. §. V.

§. IV.

§. IV.

Sed non desunt exceptiones regulæ, quam L. VII. complectitur. PHILIPP. CONAR. *Consil. XXXV. Lit. T. Part. II. & Consil. LXXXV. Lit. G. Part. III.* Nonnulli viginti duas enarrant, Socin. in *Tract. Fallent. Regul. CCCCXCV. Testatus.* Primam ipsa legis verba sistunt. Miles secundum eam pro parte testatus & intestatus decedere potest. Adde L. VI. & XXXVII. D. de *testam. milit.* In rationes causasque hujus juris inquirere, nolo. Sed & testator ita decedere nequit adeoque postea evenire omnino potest, ut pro parte testatus, pro parte vero intestatus moriatur. Finge enim duos quærelam inofficiosi testamenti instituere, & alterum hæredem scriptum vincere, alterum vero non, partim successio ex testamento, partim autem non locum habebit. L. XV. §. *fin.* & XXIV. D. de *inoffic. test.* Hoc enim non ab initio, sed tantum ex post facto accidit. Inter exceptiones regulæ etiam referunt, quod hæreditatis partem repudians, totam non repudiare videatur, cum repudiatio nulla L. LXXX. *pr.* & L. X. D. de *acquir. vel omitt. hæred.* Præterea, si testator noluerit, hæredem ex parte institutum totam hæreditatem capere, illud, quod contra voluntatem defuncti habet, restituere, ad instar fideicommissi, obligatur. Nam verba, quæ in fideicommissum flecti possunt, flecti debent. L. II. C. *commun. de legat. & fideicommiss.* Porro filia dote con-

contenta esse, reliquam vero hereditatem repudiare potest. Dos enim ad hereditatem non refertur. *L. IX. D. de dot. collat.* Inter exceptiones a regula *L. VII.* etiam mentionem faciunt substitutionis vulgaris. *FRANC. DE BARRY de Succession. Test. & Intest. Lib. VI. T. III.* Addunt his testamentum, quod ab exheredationis causam invalidum est, ex quo legata nihilominus præstanda sunt *Nov. CXV. Cap. III. in fin.* & hereditas ab intestato debetur idque mirabile videtur *PAUL DE CASTRO ad auth. ex causa C. de liber. præterit.* Verum ad alias exceptiones transeo. Filius familias tantum de bonis castrensibus, vel quasi & de bonis adventitiis a Principe donatis testari potest *L. II. C. de castr. pecul. L. VII. §. VI. D. de donat. L. VII. C. de bonis, quæ liber. in potest. constit.* Si qua mulier nequaquam luctus religionem priori viro nuptiarum festinatione præstiterit secundo viro ex testamento plus, quam tertiam partem bonorum relinquere nequit. *L. I. C. de secund. nupt.* Quod si hanc relinquat, ita, ut præter maritum, neminem heredem scripserit, jus accrescendi ei non competit. Alias enim contra legem succederet. *Cephal. Consil. LX. n. XII.* Illis, qui sibi persuadent, quod maritus ex asse quidem hæres sit, sed quod ei, tanquam indigno, auferatur, quod est ultra tertiam partem *arg. L. XLIII. §. III. D. de vulg. & pupill. substit. L. LXI. in pr. de jur. dot. L. cit. C.*

C. obftare videtur. Si arrogator arrogato impube-
 ri fubftituerit, ea fola bona ad fubftitutum pertinent,
 quæ ab arrogate habet, in bonis vero arroga-
 ti propriis hæredes ab inteftrato fuccedunt. *L. X. §.*
VI. D. de vulg. & pupill. fubftit. Nam ANTO-
 NIUS PIUS invenit modum, quo & impu-
 beres arrogari poffent, modo id fieret etiam datis
 ab arrogante fidejufforibus, mortuo intra puberta-
 tem pupillo, bona reftitutum iri illis, ad quos illa
 pertinerent, fi non facta fuiffet arrogatio, ob quam
 cautionem præftandam id dicendum eft. Patrono
 præterito ob partem, quæ ipfa debetur, competit
 bonorum poffeffio contra tabulas, hæredi inftituito
 autem bonorum poffeffio fecundum tabulas *L. VI.*
d. de honor. poffeff. Ad exceptiones *L. VII.* etiam
 referunt, fi pater extraneum hæredem inftituit, quem
 etiam filio impuberi exhæredato fubftituit, poft mor-
 tem patris, fi extraneus adhuc incapax fit, hære-
 ditatem accipient ab inteftrato fuccedentes, poftea
 filio ante pubertatem mortuo, fi fubftitutus extra-
 neus testamentifactionem paffivam habeat, fuccelfio
 ad illum pertinebit ob existentem conditionem in fub-
 ftitutione pupillari comprehenfam, & fic ex testamen-
 to, uti Gloffa hunc cafum credit in *L. XI. D. de*
vulg. fubftit. & exiftimant legem generalem tam
 de cafu quo filius non eft exhæredatus, quam exhæ-
 redationis intelligi poffe, quod collatio *L. VI. eod.*
 ipsis magis confirmare videtur. Quia *L. VI. tantum*

B

de

de hæreditatibus & testamentis agit, ad fideicommissa, codicillos & mortis causa donationes non est extendenda *L. III. VIII. XVI. D. de codicill. §. I. Inst. eod. §. X. Inst. de fideicom.* Aliam iterum exceptionem proferunt ex *L. II. C. de naturalib. lib.* Si pater filium naturalem impuberi legitimo substituerit, & legitimo in ætate pupillari decedente, ad naturalem præter bona, quæ impubes acquisivit, tantum uncia bonorum a patre relictorum pertinebit. Quicquid vero ultra modum concessum relictum, jure hæredibus ab intestato pupilli reddendum, de natura veræ exceptionis a regula *L. VII.* dubitant. Quod in testamento ad pias causas aliquis pro parte testatus ex intestatus secundum Jus Civile decedere possit, etiam negandum est *L. XIII. C. de S. S. Eccles. & L. XXXV. C. de inoff. testam.* JOANN. BRUNNEM. *Comment. ad. Cod. ad L. I. C. de S. S. Eccles. n. III.* quamvis sibi id persuaserit BARTOLUS ad *L. I. citat.* Jure Canonico vero in relictis ad pias causas sola solemnitas Juris Gentium requiritur *C. X. X. de testament. BRUNNEM. loc. alleg. Nec aurb. hoc amplius. C. de fideicommiss.* huc pertinere, asserant ii, quibus explicatio tituli de divers. regul. jur. legisque VII. curæ cordique fuit.

§. V.

§. V.

Reliquum est, ut de usu hodierno hujus L. VII. nonnulla adjiciam. Dantur omnino jura provincialia & statuta, quæ cum Jure Romano conspirant. Pertinet huc *Jus Palatinum renovatum & emendatum* Anno MDCC. uti ex P. III. Tit. III. Von **Einfetzung der Erben** VI. pag. CCCXXX. Verba sunt: So dan allein ein Erb gesezet, wird derselb ein Erb der ganzen Erbschaft, ob er schon in einen gewisser Portion oder Theil mit Nahmen zu Erben erkläret. Sintemahl wer Erben einsetzt, nicht auf etliche Theile der Verlassenschaft zu sezen hat: Und wo die Erbsazung allein auf etliche Theile besicht, dasselbig billig auf die ganze Erbschaft verstanden werden muß. Dan Vermög der Rechten, niemands zum Theil testiret, und zum Theil untestiret, versterben soll. Adde *Jus novum provinciale Wurttembergicum* P. III. T. XI. vers. Ferners kan die Erbsazung Conf. JOANN. JAC. PLEBST. Disput. ad *Jus Wurttemberg.* P. III. CXXVI. Pag. CCCXXX. Idem secundum GIESEBERTI JUSTINIANUM *Harmonicum* ibique Tit. XIV. de *Heredib. Instituent.* n. CCXXI. pag. DXXXI. *Statuta Wurmatisiensia* A. MDV. & LXI. L. III. P. III. von Erb. XIII. arg. pr. *Ius Prov. Marchico Bado Durlac.* P. V. Tit. X. KIESLING *Meletem. de testament. hered. inst. ad Iur. Prov. Marchic. Bado Durlac.* P. V. T. X. §. XVIII. pag. XLI. *Borussicum* V. II. II. II.

JOANN. SCHILT. *Exercit. ad pand. XXXVIII. §. LXXXI.* sanxerunt. Testis etiam de usu est BENEDICT. CARPZOV. in *P. III. Const. II. Defin. V. & Const. IX. Def. XIX.* nec non MATTH. BERLICH. in *Conclus. Practicabil. P. III. Conclus. III. n. XV.*

§. VI.

Verum auctoribus JOANN. GOTTL. HEINECCIO in *Observat. Theoretico-Practic. ad Pand. P. V. §. II. pag. CCXXIX.* PETR. GUDELINO in *Commentar. de jur. noviss. Lib. II. Cap. V. pag. LIV.* SIMON. a GROENEWEGEN *van der Made in Tract. de Legib. abrogat & inusitat in Hollandia Lib. II. Tit. XIV. §. IX. haeres n. III. pag. XXXVI. Christianaeo Vol. I. Decis. LI. n. XLVIII.* STRIKIO in *Uf. Mod. Dig. Lib. XXVIII. Tit. V. §. VIII.* hodie regula L. VII. saepe usu caret, ita, ut secundum nonnullas consuetudines nemini permittum sit de omnibus bonis testari. GROENEWEG. *c. l. Accedit testimonium in Jur. Civil. Controver. Lib. XXXIII. Q. X.* juxta quod in Belgio quis pro parte intestatus decedere potest, nec non LAMB. GOR. in *Adversar. Jur. Subcestiv. Tract. IV. §. IX. n. II. & §. XII. n. III.* in eo consistens, ut in Geldria de bonis immobilibus allodialibus testamentum condere non permittatur. Ut aliquis pro parte intestatus decedere possit & *Leges Archi-Episcopat. Coloniens. P. I. Tit. I. §. VIII.* permiserunt, Nec rebus sic stantibus placent,

cent, quæ JAC. BECKER ad §. cit. observavit. Præterea BARTOLUS ad L. XV. D. de vulg. & pupill. subst. mentionem injicit statuti huc pertinentis. In quibusdam civitatibus, inquit, sunt etiam statuta, secundum quæ etiam pagani possunt substituere directo post tempora pubertatis. Dicit enim statutum civitatis hujus, quod filia femina cogantur observare omnia a testatore disposita. Confer. idem ad L. XXII. de adoption. Num. XXII. de civitatibus Perusio & Florentia. Porro ex LOCCENII Legibus Civilibus Suec. Regni Tit. II. Cap. XIX. pag. LXV. apparet, quod tantum de certa bonorum parte testamentum concedatur. Sanxerunt: Si vir, aut mulier condere testamentum velit, sive bene valens, sive in morbo decumbens & post se liberos habeat, ei sit potestas legandi decimam partem ex omnibus suis bonis, mobilibus & immobilibus. Si non habeat liberos, sed alios hæredes intra regnum, ei sit potestas legandi tertiam partem omnium bonorum, uti antea dictum est. Si ille, vel illa non habeat indigenas hæredes, sed extraneos, potestatem habeat legandi dimidium omnium bonorum, ut prius dictum est, non tamen legandi, aut donandi in fraudem suorum hæredum, vel liberorum vel extraneorum hæredum domum, prædium, aut fundum, si huc migrare & hic in regno habitare velint, sed ita, ut hæredes intra annum & diem, si velint, isthæc redimere possint. Legibus Scotiæ etiam cau-

tum, ut aliquid hæredibus ab intestato relinquendum
 L. I. Reg. Maj. Cap. XXXVII. JOANN. SCHILTER
Exerc. ad Pand. II. §. VIII. Sed & secundum legem Flan-
dricam tantum testari licet de certa parte bonorum
immobilium acqvisitorum & hæreditariorum. ZY-
PÆUS Notit. Jur. Belg. p. CCXXXII. Conspirant
leges Danicæ, quæ a patrefamilias, destituto liberis,
& vidua improli dimidiam bonorum partem legari,
& tantumdem etiam ab iis, qui liberos habent tem-
plis, scholis & pauperibus relinqui permittunt, plu-
ra vero dari legari omnino verant. Jus Danic. Lib.
V. Cap. IV. §. XIV. sequ. Jure Hamburgensi P.
III. Tit. I. §. XIV. mulieri denegatur plus legare,
quam tertiam bonorum acqvisitorum partem, omnia
bona vero non alicui, quam jure usufructus & præ-
stita a marito cautione fructuaria. JOANN.
GOTTL. HEINECCII Diff. de Testamentifact. Jure
German. arctiss. limitibus passim circumscrip. §.
XXII. in Syll. Opuscul. pag. DCCCCLIV. Adde quod se-
cundum Statutum Bremense XIII. si scæmina maritum
habeat, & illa in morbum incidat, possit donare tres
partes optimi vestitus sui, cui vult, cum omnibus ac-
cessoriis, uti ea gestare, solita fuit, exceptis gemmis,
si (quia) a veste separari possunt & si forte paren-
tes, aut agnati ipsi adhuc debeant vestes, illas ite-
dem donare potest, ac si gessisset eas. CASP. a
RHEDEN Diff. de restricta disponendi, imprimis te-
standi facultate uxorum Bremensium §. X. XX. XXVII.
Jure Schauenburgico, postquam per annum & diem
 flo-

floruit matrimonium de tertia bonorum parte testamentum permissum est, reliquæ partes binæ, imo pars tertia, si hæres aut legatarius eam non acceptet, aut testamentum corruat conjux superstes lucratur. *Celeberr. FRIDER. WILH. PESTEL Disquisit. de success. inter conjug. ab intest. Cap. II. §. V. Jure Hennebergico non valent ultimæ voluntates conjugum, nisi reservata parte quinta. Ordin. Provinc. Henneberg. L. III. T. II. Cap. IV. JOANN. SCHILT. Exercit. ad Pand. II. §. XIV.* Prætere dantur leges municipales, quæ tantum de certo bonorum genere testamenti factionem indulgent. Non licet *Groningæ* puberibus infra XX. annos, nec tempore morbi fatalis, neque de bonis hæreditariis ultra partem dimidiam testari HEINECC. c. I. §. XV. Pertinet huc etiam, quæ ex *Legge Flandrica & Statuto Bremensi* observata & adjecta sunt. *Jus municipale Rigense* sanxit: Stehende Erbe oder Erdvest eigen mag weder Mann noch Fraw, ohne der Erben Urlaub vergeben, noch legiren. Et concessæ facultati legandi & donandi adjicitur. Aufferhalb seinen liegenden Gründen und unbeweglichen Erbgütern. *Jure Lubecensi* bona hæreditaria immobilia hæredibus ab intestato relinquenda sunt, de mobilibus autem & acquisitis cuilibet disponendi facultas competit *Lib. II. Tit. I. Artic. II. & XIV. HEINECC. c. I. §. XXIV. & GERARD. HENR. LAMPRECHT Diss. de Forma*
hæred.

hæredis institut. ex J. G. præsertim Labec. ad Stat. Lib. II. Tit. I. Artic. §. XI. *Hamburgensium* autem Statuta hanc libertatem de omnibus bonis hæreditariis negant. P. III. Tit. I. Art. IV. *Jure Bremensi Equestri* de bonis acquisitis testamentifactio permiffa est, non vero de hæreditariis. *Brem. Ritter - Recht* Tit. I. von *Succeffion und Erbnehmung*. Idem fere *Jus Dithmarficum* Artic. XXVIII. *Mindense* Lib. II. Tit. I. Art. V. *Groningorum & Flandricum* sanxerunt. Distinguitur tamen *Groningæ & in Belgico* reliquo inter bona mobilia & immobilia ac possessori libertas data est de certa bonorum hæreditariorum parte testari. HEINECC. l. alleg. §. XXIV. Sed & *Leges Julienses & Montenses* hoc loco silentio præterire nequeo, quæ, uti nonnullæ antecedentes, negant testamentifactionem de bonis immobilibus hæreditariis. *Jülich und Bergische Rechts - Ord.* Cap. LXIX. in pr. MELCHIOR VOETS de *Jure Revolut.* & FRIEDER. VOSWINCKEL *Diss. de Differentiis Jur. Commun. & Statut. Julicæ & Montium* Differ. XXIII. Nec res utensiles & expeditoriæ, die Gerade unde das Hergewette, passim libero arbitrio testatoris relictæ sunt. Pertinet hoc ad reliquas juris patrii (a) HEINECCI *Dissert. de Testamentifact.* l. G. *arctiff. limitib. passim circumscripta* §. XXV. Tandem si aliquis de allodio & feudo testatus sit, quoad feudum dispositio invalida est. l. F. VIII. *Conf.* HEINECC. c. l. §. XXVI. MATTH. BERLICH *Decis.*

Decif. Aur. P. I. XLIX. Maximus vero hodie feudorum numerus est.

(a) *Lex Anglorum & Werinorum Tit. VI. §. V. & VI. in PETR. GEORGISCH Corp. Jur. Germ. Antiq. pag. CCCCXLIX.*

§. VII.

In iis locis vero, ubi aliquis pro parte intestatus mori potest, cessabit etiam jus accrescendi, si apparet, quod testator hoc modo decedere voluerit. *Jus Civ. Controv. P. II. Lib. XXX. XXXI. XXXII. de Jur. Accres. Q. X. pag. CCCLVI.* Votum denique addere licebit. Opandum in conservationem multarum familiarum, ut discrimen bonorum avitorum & acquisiteorum in integrum plane restituatur, quod & *beat. JOANN. HEUMANNUS DE TEUTSCHENBRUNN* inter alia commendat. *Geist der Gesetze Cap. XVIII.*



HIV

C

COROL-

COROLLARIA.

I.

Testamentum tempore morbi contagiosi factum
coram duobus testibus valere sustineo.

II.

Paterfamilias filios exheredato tutorem recte con-
stituit.

III.

Debitor facti non potest cogi ad factum, sed li-
beratur præstando id, quod interest.

IV.

Venditor sive scivit, sive ignoravit vitium tenetur
ad omne id, quod interest.

V.

Qui vivo testatore, vel pendente conditione hæredi-
tatem repudiavit, postea adhuc adire potest ab
intestato.

VI.

Si major cum minore fidejusserit, minor restituitur,
non autem major.

VII.

Legatarii testes esse possunt in testamento.

VIII.

VIII.

Nuptiæ inter fratres, & sorores jure naturali non sunt prohibitiæ.

IX.

Omnes condiciones, qua repugnant bono matrimonii, illud invalidum efficiunt.

X.

In publiciana actione non desideratur bona fides perpetua, etiam jure canonico.

XI.

Matrimonia magis sunt suadenda, quam cogenda ob difficiles exitus.


XII.

Matrimonium est sacramentum.

XIII.

Divortium est vel thori, vel vinculi matrimonialis.





(20)



ORNATISSIMO

CANDIDATO

S. D. P.

O. L. DE EICHMANN

J. U. D. P. P. O. & DIVERS. SOCIETAT.
MEMBR.

Gratulationes, quæ dissertationibus adjici solent, plus falsi, quam veri interdum continent, ut itaque nonnullæ suspectæ sint. Evenire hanc ob rem potest, ut idem de hac judicetur. Sed sine ratione. Omnes enim in eo convenient, ut ne diem, imo ne horam quidem fere perdideris. Cum autem virtute nihil sit formosius, & morum elegantia operam dedisti, uti nemo negabit. Sed area patet in Tuas laudes. Gratulor hanc ob causam matri Tuæ optimæ filium optimum, gratulor patriæ civem optimæ spei, gratulor gradum Tibi destinatum feliciaque quævis apprecor, me autem, ut amare pergas, a Te peto. Dab. Duisb. d. I. Aug. A. MDCCLXV.



ORAT

20

PRÆ

PRÆNOBILISSIMO

C A N D I D A T O

HERMANNO GERARDO VAN WESSEM

S. P. D.

FRID. GOTTFR. J. A. F. SCHLEGTENDAL

JUR. D. & P. P. O.

Diligentia assidua, qua Te in hac & Lovaniensi Academia omnibus & maxime Doctoribus tuis semper commendasti, tantum in arte nostra profecisti, ut licentia petendi honores doctorales Tibi merito Tuo concessa sit. Cum eruditione vero insignem morum probitatem conjunxisti, ita ut nemo tibi hac in re anteferri potuerit, probe gnarus tunc demum eruditionem laudi nobis esse ducendam quando eam virtus comitatur. Quum ergo his ex causis semper gratissimus mihi Auditor fueris, non possum non Tibi Licentiam, quam vocant, adepturo gratulari, simulque omnia prospera ex animo adprecari, & amicitiae Tuae porro me etiam atque etiam commendare. Vale. Dabam Duisburgi postridie Calend. Aug. A. MDCCLXV.



PRÆSTANTISSIMO
CANDIDATO

HERMANNO S. P. D. A. P.
JOANNES PHILIPPUS DE CARRACH

NONNULL. S. R. I. PRINCIPIB. ET STATIB. A
CONSIL. INTIMIS, NEC NON AULICIS
ACTUAL. ET CAUSAR. PUBLICAR. AN-
TECESS. TEUTOB. ORDINISQ.
I. CTOK, H. T. DECANUS.

Insalutatam Te jam non dimitto. Stadium feliciter emensus es academicum. Partam in egregio apud Lovanienfes cupidæ legum juventutis cœtu laudem industriæ ac morum optime compositionum haud vulgarem noster dein strenue tuitus civis plausum unque mereris & præmia. Sane singulorum ex Ordine nostro pressisti subsellia diligentissimus auditor æque ac attentissimus. Iterata profectuum dedisti specimina aptis ad quæstiones in utroque examine Tibi propositas responsionibus, nec non explicatis *Capite 17. X. de Sponsal. & matrim. & Lege 7. D. de divers. Reg. Jur.* Argumentum nunc respondebis quum nec inelegans tum

cum in primis utile. Rem tricis & obscuritatibus
 impediam perspicue discussam tractatione sistis eru-
 ditissima, cujus haud parum fructuosa erit lectio.
 Dignus igitur impetras honores. Et hos & redi-
 tum in patriam Tibi, Amice Ornatissime, ex animo
 gratulor. Fausta quævis Tibi, quævis fortunata, stu-
 diisque Tuis largiora precor & accumulatissima
 præmia. Tuo, Tuorum & patriæ commodo vale
 quam diutissime, mihi que Tui studiosissimo fave.
 Teutoburgi ad Rhenum III. Non. Sextil. A. G.
 H. R. clb cc lxxv.




Duisburg, Diss., 1729/81(1)


ULB Halle

004 527 070

3







16

DISSERTATIO
 JURIDICA INAUGURALIS ²⁵
 DE USU ¹⁷⁶⁵
 L. VII. D.
 DE DIVERSIS
 REGULIS JURIS ANTIQUI

QUAM
 EX AUCTORITATE AC DECRETO
 AMPLISSIMÆ
 FACULTATIS JURIDICÆ
 IN INCLYTA
 ACADEMIA DUISBURGENSI
 PRO
 JURIS UTRIVSQUE
 LICENTIÆ GRADU
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
 SUBMITTIT
 HERMANNUS GERARDUS
 VAN WESSEM
 VENLONENSIS

AD DIEM AUGUSTI ANNI MDCCLXV.

~~DUISBURGI AD RHENUM~~
 DUISBURGI AD RHENUM
 TYPIS FRANC. ADOLPH. BENTHON, ACAD. TYPOGR.

